

terius gravis incommodi; ut refert Glossa in cap. Clericus de vita et honestate Clericor. verb. Relaxaverit, de quodam Clerico, qui a Papa reprehensus, quod sine Tonsura, et Habitu Clericali Romam accessisset, sequentibus versibus sese excusavit:

Tutius ut peterem Laici sub imagine Romam,  
Fas fuit, ut sinerem luxuriare Comam.

(60. Secundo, nullam incurrit culpam, et poenam, qui non defert Tonsuram propter infirmitatem, vel non defert Habitum proprio Ordini congruentem ratione magnæ paupertatis. *Clementina Quoniam 2. de vita, et honestate Clericor.* ubi excipiuntur illi, qui id faciunt ex aliqua causa rationabili, ibi: *Præterquam ex causa rationabili*; Barbosa *lib. 1. Juris Ecclesiast. univers. cap. 40. num. 33. et 74.* cum plurimis aliis. (61. Tertio, nullam incurrit culpam et poenam, qui domi suæ atque in occulto Habitum Clericalem dimittit. *Gloss. in dicta Clement. Quoniam* verb. *Publice*, Ancharanus *ibidem num. 2.* Barbosa *loco cit. n. 33. et in collect. num. 2. de vita, et honestate Clericorum, et in Trident. sess. 14. cap. 6. de reformat. num. 12.* cum multis aliis, quia d. *Clement. Quoniam* loquitur de deferente publice vestes alienas, adeoque secus est discurrendum, quando deferuntur solummodo domi, et occulte sine preta; tum quia iste talis non dimittit Habitum, ne deferat, sed ut paulo post assumat, quo casu non dicitur dimisisse, sicuti etiam abesse non dicitur, qui statim est reversurus; *l. Postliminii jus. § captivus, et l. Nihil, ff. de captiv. et postlim. rev.* (62. Quarto, nullam incurrit culpam, et poenam Clericus itinerans, vel peregrinans, qui in itinere brevioribus utitur vestibus; *arg. cap. Episcopi 3. caus. 21. quest. 4.* ibi: « Præterquam si in itinere longo tempore ambulaverit; et ita rescripsit Sac. Congreg. Episcop. et Regul. Archiep. Ulissiponensi 18. Octobris 1589. » (63. Quinto, excusatur Clericus, qui semel Habitum dimisit; is enim propter unicum Habitum dimissionem non debet Beneficio, vel Fori privilegio privari, sed requiritur, ut tantum perseveret, quod publice pro Laico habeatur. Ita Farinac. in *praxi Crimin. quest. 8. num. 68.* Piacet. in *praxi Episc. part. 2. cap. 3. num. 14. vers. excusetur*; Ugolin. *de Offic. et potest. Episcop. cap. 12. §. 6. num. 3.* Barbosa. *loc. cit. num. 32.* Card. de Luca in *annot. ad Concil. Trident. disc. 24. n. 32.* asserens delationem Habitum moraliter, non autem physice intelligendam esse; et favet textus in *leg. Quidquid iracundiæ ff. de regul. Jur.* ubi in brevi reversa uxor divertisse non videtur.

(64. Clericorum delectus et regimen Episcopis summopere commendatur. *Bened. XIV. tom. 1. Constitut. 2. incip. Ubi primum § 1.*

(65. Clerici operam dare debent instruendis fidelibus in Doctrina Christiana. Idem *Constit. 42. incip. Etsi minime § 5.*

(66. Clerici antequam ordinentur in sa-

eris, studium saltem Theologiæ Moralæ præmittere tenentur; ita enim intelligenda est sanctio Tridentini *sess. 23. cap. 14.* injungens, ut ordinandi ad populum docendum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, ac administranda sacramenta comprobentur; atque hoc injunctum esse a Benedicto XIII. confirmando Bullam Apostolici ministerii, etc. datam pro reformatione Cleri Hispani, et tamquam normam pro aliis Episcopatibus, firmatur. *Instit. Eccl. 2. § 4. et 5.*

(67. Sacerdotum penuria non satis est causæ, ut Clerici illitterati ad Sacros Ordines promoveantur, ut a Sac. Cong. Conc. decisum refert Fagnan. in *cap. Quæris. n. 18. de ætat. et qualit. præficiend.*

(68. Clerici ordinandi in sacris cogendi sunt ad præmittenda exercitia spiritualia decem dierum, ut olim Episcopis Italiæ, et Insularum adjacentium mandavit in encyclica Innocentius XI et alia encyclica innovavit Clemens XI. *Instit. Eccl. 104. § 5.*

(69. Non debet Episcopus præcipere, ut Clerici minoribus ordinibus initiati, vel etiam majoribus Subdiaconatus, etc., ad Sacros Ordines ascendant, etiamsi id facile constituat ad evitanda scandala minorum Clericorum, qui otio et vitis se dedunt, id enim Ecclesiasticæ disciplinæ repugnat; de *Synod. Dioces. lib. 12. cap. 4. § 2. nov. edit.* (70. Id tamen verum est, si quidem Clerici nullum Beneficium Ecclesiasticum obtineant, vel obtineant quidem Beneficium, sed non ex illis, quibus adnexum est onus suscipiendi Sacros Ordines. *Ibidem. § 3.* Qui enim obligationem beneficio suo adnexam neglexerunt, beneficio privantur; ex *Trident. cap. 12. sess. 24. de reform. nisi tamen justo impedimento excusari possint; ibid. § 6.* saltem dummodo hoc impedimentum ab illis prævisum fuerit, antequam beneficium acceperint. Excipitur tamen, nisi aliter exposcat necessitas Ecclesiæ. *Ibid. § 7.*

#### ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(71. Christiani vel Clerici sunt vel Laici. Dicuntur Clerici, qui servitio Ecclesiæ tanquam Ministri ejus publici dicati sunt. (72. Reliquus cœtus Fidelium nomen habet Laicorum. (73. Clerici vero pro duplici functionum genere, scilicet Sacerdotio et Ministerio, sunt duplicis generis. (74. Sacerdotium Episcoporum et Presbyterorum proprium est; Ministerium Diaconorum, et reliquorum Clericorum. (75. Gradus Clericorum diversi vocantur Ordines, quos omnes eminenter continet Episcopatus. Consule Fleury *Instit. Ecclesiast. part. 1. cap. 3. per tot.*

(76. Primis sæculis Clerici a Laicis nec Capillis, nec Vestibus, nec certo Habitu fuerunt distincti. (77. Cum enim Clerici crudelius quam Laici a Paganis vexarentur, noluerunt sine necessitate mala hoc pacto sibi arcessere. (78. Integra fuit libertas hæc ad sæculum quintum usque. Anno enim 428. Cælestinus Papa, *Epist. 2.* scribit, tunc tem-

poris ne Episcopos quidem externo Habitu distinctos a Christianis fuisse (1).

(79. Tonsuram primis quinque Ecclesiæ sæculis datam haud fuisse separatim ab omni Ordine, sed simul cum primo Ordine veluti ritum ejus collationi adnexum, sentit Morin. *de ordinat. part. 3. exercit. 15. cap. 3.* (80. At Mabillon. *ad part. 1. sæcul. 3. Benedictin. num. 19.* Christianus Lupus in *scholiis ad Canon. 13. Concil. œcumenici VII.* tepent, tonsuram ante tempus a Morino præfixum, datam fuisse separatim, et ante suspensionem alicujus Ordinis.

(81. Quomodo autem Tonsura ab omni Ordine separari cœperit, ita narrat Morinus: « Parentes filios suos impuberes, imo fere infantes Ecclesiasticis officiis consecrabant, et Episcopis instituendos offerebant. Eos Episcopi in eadem domo educandos, et instituendos curabant, ut essent Cleri reparandi velut seminarium. Eorum institutioni senex aliquis e Clero præficiabatur, atque ut plurimum Archidiaconus. Cum autem propter ætatis infirmitatem Ostiariorum, aut Lectorum Officiis in Ecclesia fungi non possent, Ordines illos illis non conferebant, sed solum Tonsuram cum Veste Clericali; Tonsuram ideo ab ordine separantes, ne Pueri isti Ecclesiæ Ministeriis Parentum pietate devoti, ut prorsus sæculares, et profani hominum oculis comparent; longo post tempore quod in pueris fiebat propter ætatis infirmitatem, in ætate valentibus usurpatum est, Tonsuraque Clericalis, ut Ordo quidam ab aliis separatius, quibuscumque separatim collata est. »

(82. Probatio Tonsuræ fieri potest per litteras, vel ipsius Tonsuræ, vel superiorum Ordinum. Vanespen. *Jur. Eccles. univers. par. 1. tit. 1. num. 8.* ubi quod, qui est in possessione Beneficii, is Tonsuram probare haud teneatur.

(83. Occasio qua factum est ut Clerici peculiare Vestes elegerint, ex Monasticis moribus tracta est. Confer Bohemer in *decretal. lib. 3. tit. 1. § 22. et plur. seq. (2).*

(84. De varia vero Ecclesiæ disciplina circa Vestem Clericalem consule Thomassin. *de veter. et nov. Eccles. disciplina tom. 1. lib. 2. cap. 43. num. 44.* utrobique *per tot.*

(85. De amictu sive veste Clerici in præsens convenienti « difficile (inquit Vanespen. *Jur. Ecclesiast. univers. part. 1. tit. 2. cap. 2. num. 5.*) est generaliter determinare, cum pro temporum, et locorum varietate varium esse, ac mutari posse indubium sit. Assumenda ergo est Vestis, quæ pro loci et temporis conditione honestati, et modestiæ Clericorum sit conveniens, ita ut exterius mo-

(1) Auctor Additionum ex aliena manu et plerique alii de Clericorum vestibus autumant, sæculo Ecclesiæ quinto nondum Clericos quoad vestes a laicis fuisse distinctos; sed postquam barbari Italiam invaserunt vestimentorum brevium usum fuisse inductum. Quædam vero nobis occurrunt monumenta in ecclesiastica historia, quæ suadere videntur aliquid fuisse discrimen inter Clericorum et laicorum vestes ante quintum Ecclesiæ sæculum. Re quidem vera Concilium Carthaginense IV habitum anno 398. *can. 45.* ita statuit: *Clericus professionem suam, et*

destiam, vitamque Clericalem omnibus ostendet, nihilque mundani fastus aut vanitatis sæcularis præferat. Confer. etiam Card. de Luca in *adnot. ad Concilium Tridentinum disc. 24. num. 21 et sequent.*

#### ARTICULUS II.

*Clericus quoad privilegium fori et canonis.*

(1. Per privilegium Fori intelligitur illud, vi cujus quis exemptus est ab omni potestate, et jurisdictione Fori sæcularis, adeo ut non possit amplius a Judice sæculari in Judicium trahi, carcerari, vel puniri, sed duntaxat a Judice Ecclesiastico; ut colligitur ex *cap. Si Imperator 11. Distin. 96.* et est *Communis*, et dicitur Fori a Foraneo Rege, qui primus Græcis Legem dedit; *cap. Forus 10. de verbor. significat.* (2. Per privilegium Canonis intelligitur illud, vi cujus omnes offendentes, seu manus violentas injicientes in Clericos, vel Monachos ipso facto excommunicationem incurrunt; et dicitur Canonis, quia continetur in Canone 15. Concil. II. Lateranensis sub Innocentio II. *cap. Si quis suadente Diabolo 29. caus. 17. qu. 4.* ibi: « Si quis suadente Diabolo hujus Sacrilegii reatum incurrerit, quod in Clericum vel in Monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat, et nullus Episcoporum illum præsumat absolvere (nisi mortis periculo urgente) donec Apostolico conspectui præsentetur, et ejus mandatum suscipiat. » (3. Clerici, et Monachi, seu Regulares gaudent privilegio Fori, adeo ut ipsi ad Judicium Fori sæcularis trahi non possint. *Communis, et indubitata apud omnes.* Et quidem neque in casibus civilibus; *cap. Bene quidem 1. Dist. 96. cap. In Canonibus 57. caus. 16. quest. 1. cap. Ecclesia S. Mariæ 10. de Constitutionibus, cap. Qualiter, et quando 17. de Judiciis, cap. Si diligenti 12. de Foro competent. et Authentic. Statuimus, de Episcop. et Cleric. cum similibus.* Et neque in causis criminalibus; *cap. Nemo nunquam 1. cap. Nullus Judicium 2. cap. Relatum 13. caus. 11. quest. 1. cap. At si Clerici 4. de Judiciis, cum concordantiis.* (4. Nomine Clericorum, quantum ad privilegium Fori, veniunt omnes omnino Clerici, sive sint primæ duntaxat Tonsuræ, aut in Ordinibus Minoribus constituti; *cap. Cleros Dist. 21. et cap. Cum contingat de stat. et qualit. præficiend. dummodo habeant conditiones de Jure requisitas; c. ultim. de Cleric. conjug. in 6. et Conc. Trid. sess. 23. cap. 6. de reformat.* Sive sint constituti in Ordinibus Majoribus; *cit. cap. Cleros Dist. 21. Aut*

in habitu, et in incessu probet. Et ut alia documenta, quæ ad hanc rem faciunt, omittam, unum Salvianum, Scriptorem V sæculi adducam, *lib. 4. de Gubern. c. 7.* clare distinguentem habitum sæcularem a clericali. Locus autem Cælestini Pontificis, qui nobis obtruditur, minime contrariæ sententiæ fautoribus suffragatur. (*Edit. Casin.*)

(2) Nobis minime arridet hæc Bohemeri sententia: peculiare Clericorum vestes Monachorum moribus acceptas referre deberre. (*Edit. Casin.*)

etiam in dignitate Ecclesiastica; *cap. Cum tibi 18. de Verbor. significat.* et Glossa final. ibi. (5. Sic etiam nomine Clericorum, quantum ad privilegium Fori, veniunt Monachi, et Regulares omnes Religionum ab Ecclesia approbatarum, tam Professi, etiam Conversi, quam Novitii; imo et Moniales, earumque Conversæ, et Novitiæ. *Est Communis*; omnes enim tales sunt personæ Ecclesiasticæ, ac Dei Servitio Divinisque Ministeriis specialiter deputatæ, atque ideo in materia favorabili, ut est ista, veniunt nomine Clericorum, *ut c. Quisquis inventus 21. et cap. Si quis suadente 29. caus. 17. quest. 4.*

(6. Clerici tamen Minoristæ non gaudent privilegio Fori, nisi habeant aliquam ex tribus illis conditionibus, quas requirit in ipsis Concilium Trident. *sess. 23. c. 6. de reformat.* his verbis: « Is etiam (*id est prima Tonsura initiatus, aut in Minoribus Ordinibus constitutus*) Fori privilegio non gaudeat, nisi Beneficium Ecclesiasticum habeat, aut Clericalem Habitum, et Tonsuram deferens, alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inserviat, vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua Schola, vel universitate, de licentia Episcopi, quasi in via ad Majores Ordines suscipiendos versetur. » (7. Sufficit vero quælibet trium conditionum a Concilio Tridentino requisitarum, ut Clericus Tonsura Clericali insignitus, vel etiam in minoribus Ordinibus constitutus gaudeat privilegio Fori, nam Concilium ibidem loquitur sub disjunctione, *Aut, vel*, uti patet ex ipsis verbis mox citatis, et ex *Regul. 76. Juris. in 6. In alternativis sufficit alterum impleri*, et in alternativa dispositione unum in effectu continetur; *l. Cum illud 25. ff. quando dies l.* (8. Unde Clericus habens Beneficium gaudet privilegio Fori, licet Clericalem Habitum et Tonsuram non deferat, et Ecclesiæ non inserviat, ut expresse declaravit Sacra Cong. Concil. teste Fagnan. *in c. Inter cetera 5. de rescriptis num. 3.* (9. Imo gaudet privilegio Fori Clericus primæ Tonsuræ, qui Beneficium Ecclesiasticum a se possessum resignavit, reservata sibi pensione, licet in Habitu et Tonsura non incedat. Ita Fagnan. *in cap. Ad audientiam 31. de rescriptis n. 127 et num. 131.* ubi refert Gregorium XIII. *Die 8. Decembr. 1576.* declarasse, Pensionarium censi Beneficiatum ad effectum gaudendi privilegio Fori Ecclesiastici, de quo Concilium loquitur; idque duabus rationibus: Primo, quia Cancellaria habet Pensionarium pro Beneficiato, ideo vult exprimi in Bullis Pensiones, sicut beneficia; secundo, quia Sanctus Pius Bulla sua coegit Pensionarium ad dicendum Officium saltem Beatæ Virginis. (10. Quinimo Clericus primæ Tonsuræ, seu Minorista non incedens in Habitu, et Tonsura Clericali gaudet privilegio Fori, nedum quando possidet Beneficium, seu Beneficium possessum resignavit cum pensione, sed etiam ante adeptam Beneficii possessionem, dummodo constet de valida collatione. Ita Flaminius Paris. *lib. 7. de resignat. benefic. q. 1. n. 46. et 47.* asserens quod fuerit resolutum in Sac. Cong. Conc. *16. Julii 1287.* Beneficiatum gau-

dere privilegio Fori ante adeptam possessionem; et sic decrevisse refert etiam Fagnan. *in cap. si quis, de Foro competent. num. 44.* et tenet Gigas *de pensionibus qu. 9. n. 12.* Lezana *in Summa tom. 3. verb. Clericus n. 20.* et plurimi apud Barbosam *lib. 1. Juris. Eccles. univers. cap. 39. § 2. n. 14.* Et ratio est, quia in Beneficialibus non attenditur principaliter possessio, sed titulus; *arg. c. Ex frequentibus 3. de institutionibus.* Tum quia in possessione non est aliquid spiritualitatis, ut dicit Abbas *in cap. quod in dubiis n. 8. de renuntiati.*

(11. Clericus Tonsuratus, vel Minorista non habens Beneficii possessionem, nec titulum, nec pensionem, ut Fori privilegio gaudeat, requiritur, et sufficit unum ex tribus infra scriptis, videlicet quod Clericalem Habitum, et Tonsuram deferens alicui Ecclesiæ de mandato Episcopi inserviat: vel quod Clericalem Habitum, et Tonsuram deferens in aliquo Seminario de licentia Episcopi degat; vel quod in Habitu, et Tonsura incedens in aliqua Schola de licentia Episcopi versetur. Sic decisum fuisse a Sacra Congreg. Concil. refert Armendar. *in addit. ad recopilat. legum Navarrae lib. 2. tit. 19. l. 1. de foro compet. n. 2.* Barbosa *in Conc. sess. 23. c. 7. de reform. n. 20.* (12. Ita tamen, ut habitum Clericalem, et Tonsuram simul deferat; non enim sufficit gestatio Habitum, vel Coronæ pro gaudento privilegio Fori; Armendar. *loc. cit. n. 13.* Aloysius Ricc. *in decis. Curie Archiepisc. Neapol. par. 4. dec. 154.* Barbosa *in Conc. loc. cit. num. 21 et lib. 1. Juris Ecclesiast. c. 39. § 2. num. 23.* et sic decrevit Sacra Congreg. Conc. *super controversiis Jurisdictionibus in Ariminens. 21. Januar. et 28. April. 1626.* (13. Clericus Minorista in Habitu, et Tonsura deserviens Ecclesiæ, gaudet privilegio Fori, licet non deserviat ex mandato Episcopi. Sacra Congr. Concil. *in Valentina 29. Jun. 1628.* (14. Sic etiam Clericus inserviens alteri Ecclesiæ, quam cui fuit adscriptus gaudet privilegio Fori. Sic decisum fuisse a S. Congreg. Conc. referunt Prosper de Augustino ad Quarant. *in Summa Bullarii verb. Habitus, Genuens, in prax. Cur. Archiep. Neapol. cap. 7. n. 1.* ubi dicit, quod cum de anno 1586. mense Decembr. ad instantiam Vicarii Archiepiscopi Neapolitani propositum fuisset dubium: « An Clericus alteri Ecclesiæ inserviens quam cui fuit adscriptus, Fori privilegio gaudeat; Congregatio censuit gaudere. » (15. Imo licet nulli Ecclesiæ esset adscriptus, talis Clericus alicui Ecclesiæ inserviens, adhuc gauderet privilegio Fori, prout decisum fuisse a Sacra Congreg. Conc. refert Sperell. *decis. 26. n. 31.* ubi dicit ipsam decisionem emanatam fuisse ad instantiam Episcopi Ferrariensis, et extare apud se in forma probante, et a bonæ memoriæ Cardinali Lancellotto subscriptam tenoris sequentis: « An Clericus in Minoribus Ordinibus constitutus, Clericalem Habitum, et Tonsuram deferens, atque Ecclesiæ inserviens, gaudeat privilegio Fori, si alicui Ecclesiæ adscriptus non sit? » Sac

Congreg. Conc. Trident. interpretum censuit gaudere. (16. Pluries enim, dicit *ibid.* Sperell. rescripsit ipsa Sac. Congregat. Conc. mandatum Episcopi non esse necessarium; quia, ut dicit Barbosa *lib. 1. Juris Ecclesiast. univers. cap. 39. § 2. num. 36.* qualitas mandati, vel licentiæ Episcopi est levis, satisque est concurrere quæ potiora sunt, nempe Tonsuræ, et Habitus Clericalis delationem, et servitium Ecclesiæ, vel commorationem in aliqua Schola, aut Universitate; et facit ad hoc alia decisio Sac. Congregat. ab ipso Barbosa mox citato adducta, tenoris ut sequitur: « Joannes Jacobus Cuperchinus Clericus Romanus, qui prima Tonsura in Urbe initiatus, quatuor Minores Ordines Panormi cum dimissoriis Illustr. Urbis Vicarii suscepit, Romam reversus, et Habitu Clericali incedens, studiis incumbens, Collegium S. Thomæ frequentavit, et licet nulli esset adscriptus Ecclesiæ tamen non destitit, diebus præcipue Festivis, et aliis, Sacrificio Missæ inservire in Ecclesia S. Jacobi Incurvabili, et alibi. Mox causa honoris sororem occidit, dubitatur an gaudeat Fori privilegio? Fiscus respondet eum non gaudere, quia neque Beneficium habet, neque est adscriptus Ecclesiæ, neque versatur in Scholis de licentia Episcopi, ut requirit Conc. Trid. *sess. 23. c. 6. de reform.* » *Die 30. Jun. 1609.* S. Cong. Conc. « perpendit secundum ea quæ proponuntur, in hoc casu concurrere omnia requisita, ut hic Clericus gaudeat privilegio Fori; est enim initiatus prima Tonsura, incedebat in Habitu, et Tonsura, et Ecclesiæ inserviebat, imo in Schola versabatur, quia publicam dialecticæ lectionem in ædibus S. Mariæ super Minervam audiebat. »

(17. Clericus si Habitum a se gestari solitum aliqua occasione ad breve tempus deposuerit, non ideo Fori privilegium amittit. Sic decrevisse Sacram Congregationem Concilii refert Fagnan. *in c. si quis 1. de Foro competent. n. 20.* (18. Sic Clericus Beneficiatus solitus incedere in Habitu, et Tonsura, licet aliquando talem gestationem intermiserit, non incidit in pœnam privationis Beneficii impositam a Sixto V. in Constitutione incip. *Cum Sacrosanctum*, et ex consequenti non amittit Fori privilegium, sed eo tanquam Beneficiatus debet gaudere ad præscriptum Concil. Trid. *sess. 23. c. 6. de reformat.* Sic censuit Sac. Congr. ejusdem Conc. *6. Octob. 1612.* (19. Imo Clericus Beneficio privatus ex d. Bulla Sixti V. eo quod Habitum, et Tonsuram non detulerit, Fori-privilegium non amittit ante latam a Judice Ecclesiastico declaratoriam super facto, id est quod Habitum, et Tonsuram Clericalem minime gestaverit. Sic declaravit ead. Sac. Congreg. *d. die 6. Octob. 1612.* (20. Clericus non Beneficiatus, solitus tamen Ecclesiæ inservire, et in Habitu, et Tonsura incedere, si noctu, vel interdiu in Habitu Laicali deprehendatur cum armis, gaudet privilegio Fori, quia ex ipsa consuetudine Habitum jugiter deferendi colligitur esse in ipso Clerico volun-

tatem illum assumendi, ex notat. per Menoch. *l. 6. præsumpt. 37. num. 28.* et facit textus *in § Pavonum, Institut. de rer. divis.* Mutatio autem voluntatis non præsumitur, nisi probetur; *l. Qui voluntatem, ff. de probat.* tum quia, cum versemur in materia pœnali, et odiosa amissionis privilegii Fori, factum non dicitur, quod factum non durat, *cap. Nam et ego; de verbor. significat. cum concord. de quibus ibi per Glossam in verb. Quasi nunquam esset; Abbas consil. 69. num. 1. col. 1. vers. sed his non obstantib.* Brevi enim reversa uxor, nec divertisse videtur; *l. Divortium, ff. de Divortio; l. Quidquid color, ff. de regul. jur. nec dicitur versum, quod versum non durat; l. si pro Patre § versum, de in rem verso*, et sic qui Habitum Clericalem dimisit, illum statim reassumpturus, censebitur non dimisisse; *argum. cap. ad nostram, de Regular. ibi: Statim penituit, quod Habitum induisset; et Glossa ibid.* (21. Clericus gaudet privilegio Fori non obstante Irregularitate contracta ob homicidium. S. Congregat. Immunit. *in Alatrina 13. Aug. 1638.* (22. Clerici enim non possunt citari ad Forum Laicalem. S. Congreg. Immunit. *in Nullius Montis Casini 16. Augusti 1695.*

(23. Clericus, qui post commissum delictum, sine ulla fraude Clericatum assumpsit, gaudet privilegio Fori, tam quoad personam, quam quoad bonam, quia privilegium superveniens universaliter eximit; *c. Frater noster*, et ibi Glossa *in verb. Aliquid, caus. 16. q. 1. c. cum Capella, de privileg.* et liberat ab obligatione, qua quis antea tenebatur; *c. ex antiquis, c. Fraternalitatem; et c. si Servus dist. 54. l. penult. § si post, et l. Spadonem § scire, ff. de accusat. tutor. l. Is cui ff. de alim. et cib. legat.* et sic expresse decisum fuisse a S. C. Conc. refert Fagnan. *in c. cum magnus 1. de obligat. ad ratiocin. num. 64.* (24. Si vero post commissum delictum, in fraudem Clericatum assumpsit, gaudet adhuc privilegio Fori quoad personam; sic ead. Sac. Congreg. Concil. teste Fagnano *loc. cit. n. 64 et 76.* et Sac. Congregat. Immunit. *in Regiensi 23. Maii 1626. et in Januensi 16 Decemb. 1642.* (25. At non gaudet privilegio Fori, quoad bona, si Judex Laicus post commissum delictum, ante illius promotionem, prævenit in causa. Qui enim post delictum assumit Clericatum in fraudem, quoad bona subest sæculari Jurisdictioni, et potest a Judice Laico puniri pœna pecuniaria, et confiscatione bonorum, si Judex Laicus in causa prævenit, ut probat text. *in l. si quis postea, ff. de Judic. qua ex lege desumptus est similis text. in cap. Proposuisti, de Foro competent. et sic decrevit Sac. Congregat. Conc. apud Fagnan. loc. cit. num. 71 et 76.* (26. Judex tamen Sæcularis præveniens non potest in bonis talis Clerici procedere, nisi postquam Judex Ecclesiasticus pronuncia-verit, eum in fraudem Curie Sæcularis promotum fuisse; necesse enim est, ut præcedat Judicis Ecclesiastici declaratio super

fraude, et interim debet Judex supersedere; cap. si Judex Laicus in fin. de sentent. excomm. in 6. ibi: Contra eum interim quavis processus Juris conquiescat; et ratio est, quia cum ejus Jurisdictio sit fundata super hac qualitate fraudis, et ea circumscripta Clericus sit exemptus ab ejus Jurisdictione, etiam quoad bona ut diximus num. 23. priusquam de hujusmodi fraude constiterit, Laicus non est ejus Judex, ideoque de qualitate fraudis Jurisdictionem tribuentis ante omnia constare debet; l. 2. § sed si dubitetur, et l. si quis ex aliena. ff. de Judice; et sic declaravit ead. Sac. Congr. ut refert Fagnan. loc. cit. num. 74 et 76.

(27) Clericus, qui dimisso Habitu, et Tonsura deliquit, et postea Habitum, et Tonsuram sumpsit, et Ecclesiae inservivit, gaudet privilegio fori, nisi reassumpserit Habitum in fraudem. Fagnan. in cap. cum magnus 1. de oblig. ad ratiocin. n. 29. ubi refert, sic decrevisse Sac. Cong. Conc. (28) Quae Congregatio die 1. Februar. et die 26. April. 1607. censuit, spectare ad Judicem Ecclesiasticum declarare, an ipse Clericus reassumpserit Habitum in fraudem nec ne? Et ad hoc facit sequens casus. (29) « Clericus primae Tonsurae a die, quo fuit ordinatus, per septem annos continuos non incessit in Habitu, et Tonsura, imo intra dictum tempus exercuit Officium Judicis; commisso delicto, fuit a Judice Laico inquisitus, citatus, et domi sistere jussus, sed arrepta fuga, reassumptoque Habitu cepit Ecclesiae inservire. Pro sua directione supplicat Episcopus Nicien. declarari: »

1. An iste Clericus gaudeat privilegio Fori?
2. An Episcopus possit Judicis Laico fundanti super notorietate, et reassumptione Habitus in fraudem, inhibere ne procedat, nec quoad personam, nec quoad bona, donec ipse cognoscat, an gaudere debeat?
3. An saltem id possit visis Litteris primae Tonsurae?
4. An contra Judicem Laicum nihilominus non desistentem, possit procedere ad Censuras?
5. An possit Episcopus hanc causam sibi vindicare?
6. An debeat?

Die 30. Maii 1676. Sacra Congregatio Concilii respondit ad omnia affirmative.

Utrum vero de fraude ista prius constare debeat ad hoc, ut Judex laicus possit procedere realiter contra bona Clerici, quaestio est inter Doctores, in qua affirmativa sententia facilius admittitur. Porro in fraudem resumere habitum censetur ille, qui post relictam vestem, crimenque commissum, actus in carcerem a Judice saeculari, fuga se vel aliqua ratione subtraxit, tuncque Cleri-

(1) Et firmatur a Benedicto XIV. in Tract. de Synodo Diac. cit. lib. 7. cap. 67. § 3. Ad hoc autem ut evitentur ea in re dissensiones inter utramque potestatem Ecclesiasticam, et laicam, suadendum est, ut Episcopus per edictum generale mandet Clericis, ut incedant in Habitu, et Tonsura, ac deserviant alicui Ecclesiae per certum tempus; quo elapso trans-

gressores admoveat tribus distinctis vicibus, ut pareant. Contravenientes dein per sententiam declaret eos propria culpa excidisse a juribus Clericalibus, neque deinceps ad ea restituendos fore. Hujus sententiae vi transgressores illi neque resumpta veste privilegio fori gaudent. Ita cit. Tractat. de Synodo Diac. lib. 7. cap. 67. § 4.

(30) Quinimo Clericus, etiamsi propria auctoritate Habitum Clericalem reassumat post delictum, et processum, et fidejussionem det de se presentando coram Judice Laico, gaudere debet Fori privilegio, et est liberatus a Jurisdictione Judicis Laici, quoad personam; quod si subsit fraus, quam Judex Ecclesiasticus cognoscere, et declarare debet, potest Judex Laicus processui finem imponere, et contra illum realiter, quoad bona, procedere. Sacra Congregat. Concil. in Papien. 23. Maii 1626. Sacra Congregat. Immunit. in Consentina 16. Septemb. 1630. et in eadem Sac. Congreg. Super controversiis jurisdictionalibus in Civitate Castellana 18. Februar. 1631. (31) Clericus qui ante carcerationem reassumpserat Habitum, Fori privilegio gaudet. Sacra Congregat. Immunit. in Rossanen. 18. Mart. 1631. (32) Clericus reassumens Habitum, et Tonsuram post praetensum delictum a se commissum, gaudere debet privilegio Fori Ecclesiastici, tam quoad personam, quam quoad bona, etiam ex constitutionibus Regni. Sacra Congregat. Immunit. in Marsicana 11. Decembr. 1646. (33) Et licet Clerico reassumere Habitum, absque alia licentia Episcopi. Sac. Cong. Immunit. in Oritana 18. Augusti 1654 (1). (34) Si tamen Clericus voluntarie, et expresse deponendo Habitum, ipsum renuntiet in actis Curiae Episcopalis cum approbatione, et acceptatione Episcopi, et cum declaratione quod absque illius licentia Habitum non reassumet; non potest propria auctoritate ipsum reassumere. Sac. Congreg. Immunit. in Mazzarien. 16 Decembr. 1642. (35) At vero si Clericus in carceribus detentus, aut in alio loco, quem tenet loco carceris, renuntiet privilegiis Clericalibus, aut Beneficiis, poterit Habitum reassumere Clericalem sine licentia Episcopi, et jura ad Beneficium renuntiatum, non obstante decreto acceptationis, quia hujusmodi renuntiatio tanquam metu carceris facta, pro nulla habetur; l. Qui in carcerem, ff. quod met. caus. et bis declaravit S. Congr. Episcoporum. nempe in Aquipendii 18. April. 1692. referente Card. Merlino, et in Aversana 13. Junii ejusdem anni referente Eminentissimo de Abdua. Quod est verum, etiamsi carceratio esset justa, ut observat Antonell. de locis legal. lib. 3. cap. 37. n. 9. Monacell. tom. 1. tit. 3. formul. 9. n. 35. (36) Licet Clericus per dimissionem Habitus, et Tonsurae, ante trinam monitionem non perderet privilegium Fori; ex cap. Contingit 43. de sentent. Excommunic. tamen Clericus Minorum Ordinum non Beneficiatus, nisi Habitum, et Tonsuram deferat, et Ecclesiae inserviat, vel in seminario, aut in aliqua

gressores admoneat tribus distinctis vicibus, ut pareant. Contravenientes dein per sententiam declaret eos propria culpa excidisse a juribus Clericalibus, neque deinceps ad ea restituendos fore. Hujus sententiae vi transgressores illi neque resumpta veste privilegio fori gaudent. Ita cit. Tractat. de Synodo Diac. lib. 7. cap. 67. § 4.

Schola, vel Universitate de licentia Episcopi versetur, perdit privilegium Fori sine alia monitione, ex Conc. Trid. sess. 23. c. 6. de reform. et ex declaratione Sac. Congregat. ejusdem Concil. relata a Fagnano in cap. si quis 1. de Foro competent. num. 21. his verbis: « Quibus autem casibus Clericus ex Decreto Concilii Fori privilegio non gaudet, nullam requiri monitionem, ut illud amittat. » (37) Nec ubi adsit, observanda est consuetudo, secundum quam Clerici Habitum, vel Tonsuram deferentes, Fori privilegio gaudent, licet Beneficium Ecclesiasticum non habeant, nec alicui Ecclesiae inserviant, vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua Schola, vel Universitate de licentia Episcopi versentur, justa cap. 6. sess. 23. Conc. Trid. de reform. Sic decrevit Sacra Congregat. Concil. teste Fagnano in cap. si quis 1. de Foro compet. n. 71.

(38) Clericis tamen non habentibus supra dicta requisita Concilii non admittitur perpetuo privilegium Fori, sed suspenditur ad tempus, prout ex iis, quae de Clerico conjugato tradunt Archidiacon. Joannes Andreas, Ancharan. et Felin. in cap. unic. de Cleric. conjugat. in 6. colligit Fagnan. in cap. Si quis 1. de Foro competent. n. 49. ubi dicit, quod sic censuit Sac. Congreg. Conc. respondens, Clericum conjugatum, qui post dimissum Habitum Clericalem deliquit, quamvis pro eodem delicto in Curia Laicali citatus, et condemnatus fuerit, si deinde (modo non in fraudem) reassumpto Habitu, et Tonsura Ecclesiae deserviat, non posse a Judice Laico pro eodem delicto personaliter distringi. (39) Clericus non habens requisita Concilii, quamvis non gaudeat privilegio Fori Ecclesiastici, et Forum Judicis saecularis declinare non possit, ex Decreto Conc. Trid. sess. 23. cap. 6. de reform. tamen si adhuc se gerat pro Clerico, potest puniri etiam ab Episcopo, et est locus praeventioni, ut declaravit Sac. Congregat. Conc. teste Nicolao Garcia de Benefic. par. 2. cap. 2. num. 16. et Fagnan. in cap. Odoardus 3. de solutionibus num. 23. et in cap. Si quis de Foro comp. num. 75. Et iterum sic declaravit his verbis: Clerici non incedentes in Habitu, et Tonsura, non gaudent privilegio Fori; sed non propterea impeditur Episcopus, quo minus si praevenerit eosdem Clericos punire possit. Sac. Congregat. Concil. in Baren. 16. Mart. 1606. et in Valentina 20. Mart. 1607. et in Leodiens. 17. Novemb. 1630. Sac. Congr. super Controv. jurisdiction. in Neapol. 22. Jun. 1628. et in Assisien. 25. Jun. et in Parmen. 26. ejusdem mensis 1629. (40) Immo potest Episcopus procedere etiam in causis similibus Clericorum, in quibus non praevenerit, ut censuit Sac. Cong. Conc. die 8. Novemb. 1630. in una Leod. semel, iterum, ac tertio discussa, et a Sanctissimo approbata, tenoris sequentis:

« Die 12. Novembris 1630. Sac. Congregat. Concil. facta relatione Sanctissimo D. N. in causa Leod. 8. ejusdem in Sacra Congregat. Concil. proposita, et resoluta, Sanctitas sua

approbavit declarationem factam, ut Clerici etiam non habentes requisita cap. 6. sess. 23. de reformat. licet ipsi tanquam contravenientes Ordinationi Sacri Conc. non possint per se ipsos allegare privilegium Fori, nihilominus subsint Jurisdictioni Episcoporum, et Ordinariorum cognitioni, ne dum in causis, in quibus iidem Episcopi, seu Ordinarii praevenerunt, sed etiam in quibus non praevenerunt, et illos e manibus Judicis Laici repetant, quando iidem Clerici adhuc Clerici permanent, videlicet si a Jure, vel ab homine per declarationem servatis servandis factam, privilegiis Clericalibus denudati, seu privati non sint. »

« Die 1. Augusti 1634. facta denuo relatione Sanctissimo D. N. Sanctitas sua ad removendam omnem difficultatem denuo jussit omnino observari supradictam declarationem, ut supra firmatam in dicta causa Leodiensi. » (41) Clericus repertus a Curia Saeculari sine Habitu Clericali, donec doceat de suo Clericatu in carceribus Laicis potest detineri, dummodo non sit notorie Clericus; et si per octo menses ante carcerationem Habitum dimiserat, privilegio Clericali nullo modo gaudet, si a Curia, ut supra, captus fuerat in tali Habitu. Sac. Cong. Conc. 11. Januar. 1619. (42) Clericus, qui in Habitu, et Tonsura se immiscet enormitatibus, et pluribus vicibus, censetur absque monitione renunciassse privilegio Clericali, secus si in Habitu Laicali haec perpetrasset, quia tunc requiritur monitio. Sac. Cong. Conc. in Motul. 1. Febr. 1620. (43) Clericus in Minoribus constitutus recusans frequentare Scholas, et Ecclesiam, non potest privilegio Fori privari, si adsit probabilis spes profectus. Sac. Congregat. Conc. in Materanen. 2. August. 1631. (44) Clerici Filius legitimus, ante Clericatum susceptus, gaudet privilegio Fori durante vita ejus Patris. Sac. Congr. Immunit. in Callien. 18. Mart. 1632. (45) Clericus non potest verbis renunciare privilegio Fori, nec Judicem Laicum sibi constituere, etiamsi proprium juramentum, et adversarii consensus accedat, ut est casus in cap. diligenti 12. de Foro competent. et tamen potest hujusmodi privilegio renunciare ipso facto, si post dimissionem Habitus, et Tonsurae, tertio commonitus se ipsum contempserit emendare, ut et textus expressus in cap. Contingit 43. de Sentent. excomm. et in cap. In audientia 25. de Sentent. excommunic. (46) Clericus enim si a Praelato suo tertio monitus non reassumit Habitum, et Tonsuram, perdit privilegium Clericale, habetur expresse in dict. cap. In audientia 25. et cap. Contingit 25. de Sentent. excommunic.

(47) Licet Clerici in prima Tonsura constituti, vel Minoristae non habentes Beneficium Ecclesiasticum, aut alias qualitates a Concilio Tridentino cit. sess. 23. cap. 6. de reform. requisitas, privilegio Fori non gaudeant, ex ipso Concilio ibidem sic expresse statuente; tamen privilegio Canonis non sunt privati, ut expresse declaravit Sac. Cong. ipsius Conc. nam proposito dubio: